(4

S. D. N. D.

VRBANI

DIVINA PROVIDENTIA

PAPAE VIII.

DECLARATIO

Super facultatibus transferendi pensiones, seu illarum loco fructus, ac translationibus, nouisque reseruationibus pensionum, seu fructuum antea translatorum.



ROMAE, Ex Typographia Reuerendae Camerae Apost. MDCXXXVI.

VRBANVS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.



NTER grauissimas, multiplicesq; Apostolicæ seruitutis curas, quibus iugiter premimur, illa etiam est, ne Ecclesiæ & beneficia Ecclesiastica indebitè contra, aut præter mentem Romani Pontificis prægrauentur, cum igitur ex translatione pensionum onus illarum prorogetur, seu extendatur, de persona ad personam, & sæpè de infirmo ad sanum, & de sene ad iuuenem, in non modicum præiudicium Ecclesiarum, & beneficiorum Ecclesiasticorum, ac illa pro tempore obtinentium, & propterea difficilius concedatur facultas transferendi illas pensiones, quæ alias translatæ fuerunt, idcircò Ecclesiarum, ac beneficiorum, & illa obtinentium prædictorum detrimentis, & incommodis, quantum nobis ex alto conceditur obuiare volẽtes, Motu proprio, nõ ad alicuius Nobis super hoc oblatæ pentionis instantiam, sed ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deq; Apostolicæ potestatis plenitudine, hac nostra perpetuò valitura constitutione declaramus omnes, & singulas per Romanos Pontifices prædecessores, & successores nostros, ac etiam per nos ex quacumq; causa, etiam onerosa, etiam ratione quorumcumque officiorum, etiam Motu, & scientia potestatisq; plenitudine similibus, ac consistorialiter, etiam iteratis vicibus, & cum quibusuis clausulis, etiam derogatoriarum derogatorijs, & alijs decretis concessas, & concedendas facultates transferendi quascumque pensiones, seu fructus Ecclesiasticos earum loco pro tempore reseruatas, & reseruatos, aut mediante earumdem pensionum antiquarum cassatione de nouo illas reseruandi, necnon pensionum, & fructuum huiusmodi translationes, seu nouas reseruationes, super quibuscumque Ecclesijs, etiam Cathedralibus, & maioribus, ac Monasterijs, etiam Consistorialibus, cæterisque beneficijs, tàm sæcularibus, quàm quorumuis ordinum regularibus, & hospita-

libus

ſibus quomodolibet qualificatis, etiam cuiuſcumq; Iuriſpatronatus, etiam Laicorum, etiam quorumcumq; Regum, & Principum, illorúq; fructibus, etiam incertis, & diſtributionibus, etiam quotidianis nunc & pro tempore factas, & conceſſas quibuſcumq; perſonis, cuiuſcumq; gradus, dignitatis, & conditionis fuerint, etiamſi Cardinalatus honore præfulgeant, etiamſi ſuper facultatibus, translationibus, ſeu nouis reſeruationibus huiuſmodi, lis, ſeu lites in quocumque gradu, inſtantia, vel Tribunali pendeant indeciſæ, non potuiſſe, nec poſſe cuiquam ſuffragari, quoad penſiones ſeu fructus alias translatos, niſi in eis conſenſus, penſiones, aut fructus huiuſmodi ſoluere debentium acceſſerit, aut quod alias penſiones, ſeu fructus huiuſmodi translati, ſeu de nouo reſeruati fuerint expreſſum ſit, ſeu exprimatur, vel clauſula etiamſi penſiones, ſeu fructus huiuſmodi forſan alias translatæ, ſeu translati, vel de nouo reſeruatæ, vel reſeruati fuerint appoſita ſit, vel apponatur. Non intendimus autem præſenti Conſtitutione comprehendere facultates, translationes, & nouas reſeruationes huiuſmodi, pro quarum validitate hactenus lata eſſet ſententia, quæ in rem iudicatam tranſiuit, vel pro quarum executione mandatum relaxatum, & executioni demandatum fuerit, ſicq; & non aliter per quoſcumque Iudices ordinarios, & delegatos, ac etiam Cameræ Apoſtolicæ Clericos Præſidentes, necnon Cauſarum Palatij Apoſtolici, & Curiæ eiuſdem Cameræ generalem Auditores, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Camerarium, & alios Cardinales, etiam de latere Legatos iudicari, & definiri, ac interpretari debere ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, etiam decernimus non obſtañ indultis, priuilegijs, & facultatibus, alijſq. præmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis ac Cancellariæ Apoſtolicæ regulis, etiam indiuiduam mentionem requireñ cæteriſque contrarijs quibuſcumq. illorum omnium, & ſingulorum tenores pro plenè expreſſis, & inſertis habentes. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die viij. Martij M.DC.XXXVI. Pontificatus Noſtri Anno Decimotertio.

M. A. Maraldus.

Anno à Natiuitate D. N. Ieſu Chriſti Milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo ſexto die vero decima quarta menſis Maij ſupradicta Bulla, ſiue Declaratio affixa, & publicata fuit ad Valuas Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe, in acie Campi Floræ, ac alijs locis ſolitis & conſuetis Vrbis per nos Paulum Barrocium, & Franciſcum de Paulis Sanctiſſimi D. N. PP. Curſores.

Antonius Bardus Magiſter Curſorum.